



2/10/11
~~C. 14~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-61.

SIGNAT. C1515000XIII

Q. D. B. V.

QUINQUAGENAM
POSITIONUM.

E TOTA MEDICINA SELECTISSIMARUM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq. EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI BORUSSIACI, ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HÆREDE &c. &c. &c.

GRATIOSO AMPLISSIMÆ FACULTATIS
MEDICÆ CONSENSU,

PRO

RECEPTIONE IN EANDEM

IN ACADEMIA REGIOMONTANA

DISPUTATIONI PUBLICÆ,

Ad ventilandum subjicit:

ANDREAS FRANCISCI LISCHOVINI,
Med. Doct.

RESPONDENTE

GEORGIO WILHELMO BUNONE,
Lüneburgens. Saxone.

IN AUDITORIO MAXIMO

Die 12. Julii, Anno Domini MDCCIII.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

CELSISSIMO PRINCIPI
ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINO
DNO. ANDREÆ
CHRYSOSTOMO,
COMITI IN ZALUSKIE
ZALUSKI,
EPISCOPO VARMIENSI &c.
SACRI ROMANI IMPERII
PRINCIPI,
TERRARUM PRUSSIÆ PRÆSIDI,
SUPREMO REGNI POLONIARUM CANCELLARIO,
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

Hanc Disputationem Academicam in tefferam grã-
tissimi & obsequentissimi aninii humillimã mente ma-
nuque insinuat offertque

Humillimus Client

ANDREAS FRANCISCI LISCHOVINI,
Med. Doct.

I.

Medicina, hoc est: Scientia seu ars curandi morbos & conservandi sanitatem hominis, à DEO Optimo Maximo ab æterno, in utilitatem & solatium humani generis destinata est.

II. Deus Hominem primum donavit perfectissimâ sanitate, quæ tunc partim in optimâ succorum temperie & mixtura circulationeque, partim autem in legitimâ partium dispositione & textura consistebat, nunc vero duntaxat in illis consistere debet.

III. In statu innocentiae vix aliâ medicinâ, præter *Præservatricem*, opus fuisset.

IV. Post lapsum autem, propter maledictionem, à Deo terræ, ex quâ homo cibum capiebat, factam, & morbi nascebantur, & Medicina istis quærenda erat.

V. Deus misericors ipse, statim sanitatem hominis multis expositam periculis, voluit suffulcire & conservare tum legibus *Moralibus* tum *Ceremonialibus*, tum denique *Forensibus*; Quo spectant leges de *animalibus impuris prohibitis*, de *leprosum separatione*, de *puritate aëris*, de *siortatione*, de *irâ* &c. quæ omnes & singulæ observatæ hominem à multis morbis poterant reddere vacuum.

VI. Homines etiam excellentiores, qui alios antecellere & beneficiis juvare volebant, Medicinam primum, quâ sanitas conservatur, excolere incipiebant. Tales fuerunt *Prometheus*, cujus nomine quidâ *Noachû* intelligunt, in *Ægypto Hermes*, quem multi *Chamum* esse putant, aut ejus filium *Mizraim*. In Græciâ *Apollo* cujus filius *Æsculapius*, qui habebat filium *Machaonem* à quo *Nicomachus* & ab hoc *Aristoteles*, & *Podalirium*, ex cujus Schola tres coloniae Medicæ, *Rhodia*, *Cnidia*,

A 2

Coa,

Coa, in quâ floruit *Hippocrates*, post variâ natâ *Scitæ* in Medicinâ aliâ aliis præstantiores.

VII. Quia verò primis temporibus homines magis externis morbis, propter mutuam sævitiam, quam internis, propter moderatam vitam, obnoxii erant, hinc Medicina manualis s. Chirurgia plus ab illis præ alterâ excolebatur, quamvis credere fas est Pharmacopolas, quorum Spiritus Sanctus per Mosen aliquôties honorificè meminit, medicamenta, tam interna quam externa præparasse.

VIII. Nulla *Scitæ* fuit, quæ non aliquod Medicinæ attulerit sublevamentum.

IX. Qui vult finem Medicinæ assequi hoc est sanitatem hominis vel restituere vel conservare, is debet nosse, primò hominem sanum, qualem describit, *Physiologia*, secundo ægrotum, qualem depingit *Pathologia*, tertio signa & sani & ægri, quæ suppeditat *semiotica*, quarto quomodo sanitas conservetur, quod discit ex *Hygiene* quinto denique quomodo morbus tollatur, quod docet *Therapeutice*.

X. Doctrina Veterum de *Elementis*, de *Humoribus*, de *Temperamentis*, de *Calido innato*, de *Partibus*, de *Spiritibus*, de *Facultatibus animæ & actionibus*, si rectè explicetur, plus prodest in Medicina, quam obest, præterquam quod aliquam remoram injiciat iis, qui ad praxin nimium festinant, verum etiam est, quod illa tota doctrina, incertis sit superstructa principiis.

XI. *Physiologia* absq; *Anatomia* ad minimum *speculativa* addisci non potest, multa tamen traduntur ab *Anatomicis*, quæ neque *Physiologo*, neque *Pathologo* multò minus *Therapeutæ* magno usui esse possunt.

XII. Ad *Arteriam magnam*, quæ sanguinem à corde cunctis partibus advehit, & *Pulmonariam*, omnes arteriæ humani corporis referuntur, tanquam trunci & fursuli. Non datur
tamen

tamen truncus Aortæ ascendens. Subclaviæ & Carotides vel sunt furculi descendentes vel abscedunt à parte ejus notabili fursum circiter ad sesqui digitum elata.

XIII. Venæ numerantur tres, Vena Cava, pulmonaria & Porta. Truncus Venæ cavæ ascendens & descendens sensu Veterum non datur, sensu Neotericorum datur.

XIV. Ubi glandula ibi separatio aut spiritûs aut humoris alicujus specialis à communi massa.

XV. Analysis Massæ sanguineæ per ignem neque *Veterum* neque *Paracelsi*, neque *Helmontii*, neque *Tackeni*, sed optimè *Willisii* exhibet Principia, quæ tamen resolvi possunt in *Carteresi*.

XVI. In Pathologia considerantur tria: Causa, Morbus & Symptoma, quæ tamèn aliquando commutantur, ut symptoma sit Morbus & morbus sit causa, & contra.

XVII. Morbi omnes, quorum infinitus ferè est numerus referri possunt ad *morbos Intemperiei Conformationis, Compositionis & solutæ unitatis*. Hi omnes ad Morbos solutæ unitatis, sed non sensu veterum.

XVIII. Ad causas morborum meo saltem judicio, pertinet inprimis peccatum.

XIX. Non tantum Corpus, sed & anima, propter intimum commercium, laborat morbis.

XX. Quidam morbi reddunt homines longiores, etiam illos, qui annos crescendi expleverunt, imò & longæviores, ut ita dicam.

XXI. In omnibus morbis est obstructio.

XXII. Morbi cognoscuntur Visu, Auditu, Urina, pulsu &c. quæ separata, sæpius Medicum in Diagnosi & Prognosi, conjuncta rarò fallunt.

XXIII. Si morbi difficulter cognoscuntur à Medicis, quo-

modo cognoscuntur ab Empiricis & Pseudo Medicis, quia tamen tales Medicastrum semper vel Ventriculum vel Uterum vel Hepar quibus ut plurimum morbi adscribuntur, incusant, majorem saepe Medicis acquirunt fidem.

XXXIV. Qui non cognoscit morbum, is etiam non poterit remedia opponere morbo, tollit tamen aliquando morbum per accidens.

XXV. Possunt quaedam dici ex Urinae inspectione, sed non tanta, quanta postulat Vulgus.

XXVI. Qui ad functiones *naturales, animales, vitalesque* animum attenderit, habueritque perfectam indolem morbi, raro fallit in prognosi.

XXVII. Universalis vivendi ratio, omnibus applicari non potest hominibus, sed diversa diversis, hinc unusquisque, hoc in negotio poterit sibi esse optimus Medicus, si attenderit ad noxia & proficua.

XXVIII. Subitae mutationes, uti in omnibus ita in cibo & potu, licet in melius omnes periculosa. Consueti enim longo tempore, etsi deteriora sint, minus molesta esse solent.

XXIX. Fundamenta sanitatis liberorum ab ipsis parentibus ponuntur, à matre gravidâ vel roborantur vel infirmantur.

XXX. Pueris saccharata, mellita, acida, calida &c. nocent.

XXXI. Sanis omnia sana.

XXXII. Diætam non tenentur sani sed aegri servare.

XXXIII. Juxta Diætâ vivit leges, etiam is, qui cibis aliis noxiis vescitur.

XXXIV. Diversi morbi diversam agnoscunt Methodum Medendi, Universale tamen deobstruens si daretur, omnibus fere morbis mederetur.

XXXV. Universalis confortantis Virtus, puta Auri ejusque

7
ejusque Essentiæ, neque à priori demonstrari potest, neque à posteriori, prior demonstratio est impossibilis, posterior dubia & deceptoria.

XXXVI. In qualitatibus & effectibus Medicamentorum ut plurimum *fallacia non cause ut cause* committitur.

XXXVII. Uti pleraque Medicamenta, ita etiam Venæsectio, modo prodesse modo nocere potest.

XXXVIII. *Arcana, specifica & Pretiosa* donec celantur juvant, si non ex se, saltem ex confidentia ægri, dum revelantur amittunt Virtutem.

XXXIX. Sudorem largissimè ægro & sano etiam ad aliquot milliaria remoto, magneticè sine medicamentorum internorum usu, per urinam movere meâ experientiâ est possibile, nec forte superstitiosum, morbos verò hac ratione tollere dubium, imò si naturam patientis non nôris periculosum.

XL. Febres radicitùs non nisi per sudorem curantur.

XLI. Multi morbi tantum palliativam, & cum expectatione admittunt curam.

XLII. Probabile est omnia simplicia ex Regno *Vegetabili, Animali, Minerali*, propriam quandam facultatem & specificam in primâ creatione à Deo Opt. Max. accepisse, ut homini inserviant vel pro alimento, vel pro Medicamento, quod tamen de facultate amicitiam, odium, invisibilitatem conciliandi, thesaurosque absconditos detegendi &c. affirmare pro certo nolim.

XLIII. Chimia quasdam facultates simplicium immutat, quasdam explicat, quasdam verò prorsus delet.

XLIV. Facultates medicamentorum omnes sunt potestate tales & manifestæ, quæ neque à *Qualitatibus primis*, neque *ab occultis* & hæc neque à *forma substantiali*, neque à
spi-

spiritu, neque ab *animâ* fluunt, sed omnes solum à partium figurâ, magnitudine, motu, quiete, situ & dispositione texturæ dependent.

XLV. Non dantur electivè Purgantia, ut alia bilem, alia melancholiam, alia phlegma attrahant pellant & eliminant, ob vim tamen fermentativam & gradum fermentationis possunt dici purgantia alia *Cholagoga*, alia *Phlegmagoga*, alia *Melanagoga*, alia *Hydragoga*, alia *Panchymagoga*.

XLVI. Non dantur Medicamenta alia *Cephalica*, alia *Stomachica*, alia *Hepatica*, alia *Splenica*, alia *Uterina*, &c. Virtus enim Medicamenti unius omnibus ferè partibus communicatur, & ab uno dependet principio. Hinc, quæ sunt *Stomachica*, sunt etiam *Cephalica*, *Uterina*, *Hepatica*: dici tamen potest, quod dentur alia medicamenta *Cephalica*, alia *Stomachica*, alia *Uterina*, propter diversitatem non solum pororum, sed & particularum vel rigidarum vel flexibilium &c. quæ unam partem magis alterant quàm aliam.

XLVII. Dum Medicamentum ritè preparatum & applicatum insolitos in aliquo subiecto producit effectus, illud non tam malignitati Medicamenti quàm Bonitati est adscribendum, quia in tali subiecto inveteratæ sunt obstructions, factæ ab humoribus valdè corruptis, qui, citra novam turbationem sanguini commisceri non possunt.

XLVIII. Stomachus est in causa, quod multi morbi curentur, & contra: stomachus efficit, ut pauci morbi tollantur, hic enim facultates Medicamentorum debilitat.

XLIX. Calor calore infringendus: Frigida enim augent æstum.

L. Unum Medicamentum tempori datum plus prodest, quàm centum intempestivè data.





Umg. VI-61

ULB Halle
004 113 25X

3



Sb

Stk 19 fehlt
35 fehlt
3 fehlt

W018

Umg. VI 61



28

Q. D. B. V.

QUINQUAGENAM POSITIONUM.

E TOTA MEDICINA SELECTISSIMARUM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO atq. EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

DOMINO FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORUSSIACI, ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HÆREDE &c. &c. &c.

*GRATIOSO AMPLISSIMÆ FACULTATIS
MEDICÆ CONSENSU,*

PRO

RECEPTIONE IN EANDEM

IN ACADEMIA REGIOMONTANA

DISPUTATIONI PUBLICÆ,

Ad ventilandum subjicit:

ANDREAS FRANCISCI LISCHOVINI,

Med. Doct.

RESPONDENTE

GEORGIO WILHELMO BUNONE,

Lünceburgens. Saxone.

IN AUDITORIO MAXIMO

Die 12. Julii, Anno Domini MDCCIII.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

